



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

meæ partem, tibi serviendo consumpsi, ut totus præ amore tui liquefcere diffuereque mihi viderer, neque existimarem, posse aliquam meo in te amori calamitatem incidere. Sed, qui se existimat stare, videat ne cadat. qui perpetua hostium obsidione premitur, non se tradat ocio ac securitati. qui undique ab infidiis expetitur, sui custodiam non remittat. Ille ego infelix, qui ita pulchre mihi videbar stare, ut dicerem, Non movebor in æternum, qui nullam præterea talem vim metuerem, qui universa spiritualia nequitia in cælestibus, in certamen contentionemq; vocarē, post multorum mensium dimicationem, tandem ad terram victus misere corruï. O casum horribilem! ô hominem miserum! ô Dei iudicia metuenda!

C A P. XXVII.

Iustus es, Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt; & omnes viæ tuæ misericordia & veritas; & quis est, qui possit dicere, Cur sic facis? Sed liceat mihi, miserorum omnium miserrimo, peccatorum omnium teterrimo, quanta potest animi demissione ac reverentia, eorum, quæ, ita divina exigente iustitia, consecuta sunt, à te rationem exquirere. Ostende mihi, Domine, postquam mihi ignoveras, quam fuerint peccata mea, & scelera mea, quæ te ad iracundiam provocaverint; quodnam meum ob meritum, receptus in amicitiam tuam, ab eadem expulsus sum denuo? cur amovisti à me dexteram tuam, & passus es recidere animam meam in id lutum, unde eam extraxeras ne periret? Indica mihi, cur me ita iudices.

C A P.